

ex eadem re dolere potest, et gaudere, et sensibus sui corporis et partibus sensitivis ex diverso respectu communicare dolorem, et gaudium; sequitur ergo, quod ex eadem re homo plus et minus gaudere potest. Quanto ergo plus Dominus Iesus in virtutibus summis de eadem re poterat vario ex respectu amplius, vel minus dolere, atque etiam in summo gaudere. Unde etiam secundum August. lib. de spiritu, et anima, ait, quod anima dupliciter consideratur. Uno modo, ut anima; et sic habet relationem ad membra quae vivificant, et hoc Christus patiebatur; alio modo consideratur, ut spiritus, et sic fruebatur, nec dolebat.

2105 Tertio obiicit potest, ut in Christo homine praecognitio humanae salutis quam sequi praevidebat ex sua morte, et supernae restauratio, scilicet, civitatis, et acceleratio resurrectionis tertia die, et acceptio voluntatis paternae, necnon honor praedicandus in populo charitatis suae, debebant minere Christi dolorem in eius mente, et sic non tam immense dolere.

2106 Ad quod dicendum quod omnia ista debebant ei augere dolorem; quum enim haec omnia ex suo dolore debeantur Christus assumere, et tantum debuit sibi divina sapientia infundere, quantum sufficiebat ad supradicta omnia conquirenda. Praeterea, si non fuisset de sua morte tales gratiae subsecutae, nunquam voluisset non tantum dolorem solum, sed etiam nihil dolorabile sustinere. Proinde quanto videbat viciniam resurrectionem suam instare, tanto novit, quod pro passibilis vitae tempore, et maxime passionis illatae ampliore oportuit angustiam sustinere, seu assumere, ut post illorum dolorem a divina iustitia mensuram immensurabilem adimplere. Et quia, sicut ex dictis circa principium huius sermonis patet, dolor in amore commensuratur, ut quantus est amor alienius, tantus sit dolor de illius offensa; et Christus unione divina inaeestimabiliter Deum amaret, hoc ipso, in quantum passibilis erat, habuit dolere; ita absque mensura amabat; unde ad intelligendum causam huius immensurabilitatis imaginare, si esset unus Deus infiniti doloris, sicut est unus Deus infiniti amoris; et ille Deus uniretur Christo, scilicet, personali unione, et sibi dolores infunderet; cogita quantum doleret. Sic aliquoties videri potest, quomodo dolores Christi inaeestimabiles extiterunt.

2107 Verumtamen circa hoc advertendum est, secundum Alex. de Ales in 11, quod tria fuerunt in Domino nostro Iesu Christo, scilicet, corpus, anima, et divinitas. Primo corpus, quod fuit passibile simpliciter; secundo anima quae erat impassibilis simpliciter, tamen erat passibilis secundum quid, unde secundum Damasc.: Anima impassibilis existens,

corpore inciso, ipsa condolet, et compatitur non incisa; tertio divinitas, quae erat impassibilis, et impassibilis, unde Damasc.: Divinitas impassibilis existens corpori Christi, non est compassa; sicut sole superlucente in ligno, si securis incidat lignum, incisibilibus et impassibilis remanet sol.

Insuper est notandum, quod differentia est inter pati Christi, et pati nostrum. Nam, secundum Hieron. x de Trinitate: Est pati ex infirmitate, et est pati ex potestate, qui enim patitur, et non potest prohibere passionem, patitur ex infirmitate, qui autem prohibere potest, patitur ex virtute. Unde Damasc. ait: Passus est Unigenitus Deus omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus est virtute naturae suae, sicut et virtute naturae suae natus est; nostrum autem pati est in infirmitate. Haec Alexand. de Ales. Proinde Is. LIII, ait de Christo Iesu: *Oblatus est, quia ipse voluit; et ad Ephes. v dicitur: Tradidit semetipsum pro nobis in oblationem*; item Propheta ait, (Psal. LIII): *Voluntarie sacrificabo tibi*; atque illum quaerentibus se obtulit, dicens: *Ego sum*.

2108 Secunda pars principalis circa Dominicam Passionem. Contemplamur incomprehensibilem passionem humilitatis; quia summa Veritas de se per Prophetam subiungit, dicens: *Humilitas sum nimis*; quasi dicat, excessi in humilitate; unde Luc. ix dicitur, quod in transfiguratione Domini Iesu apparuerunt Moyses, et Elias, visi in maiestate, et dicebant excessum eius, quem compleverat in Ierusalem; quia ibi complete ostendit amorem excessivum, quem habebat ad nos, propter quem assumpsit, et sustinuit, non solum excessivum dolorem et poenam, sicut praedictum est; verumtamen excessivam ingominiam, et confusionem, sicut nunc dicturi sumus. Nam quod summus Deus tali morte damnatus sit, abyssus fuit stupendae humilitatis. Haec est enim ille excessus, et transgressio de quibus humano generi per Ierem. Thren. III, Dominus ait: *Recordare pauperum, et transgressionis meae*; quia eorum memoria stuporem immensae dilectionis Dei erga nos manifeste ingerit menti, ut merito dicat: *Humilitas sum nimis*. Tanta ergo abyssus humilitatis aliquoties comprehendi potest, si consideremus quadruplicem causam Dominicam Passionis. Primo causam a qua; secundo causam de qua; tertio causam secundum quam; quarto causam ad quam. Prima causa a qua, est causa efficiens; secunda causa de qua, est causa materialis; tertia causa secundum quam, est causa formalis; quarta causa ad quam, est causa finalis. Consideremus ergo primo circa Dominicam Passionem causam efficientem, secundo causam materialem, tertio causam

formalem, quarto causam finalem; et iuxta haec quatuor causas, secundum quadruplicem intellectum loquitur Christus, dicens: *humiliatus sum nimis*; et in quolibet articulo huius secundae partis potest esse thema aliud ad loquendum de abyssu humilitatis Passionis Christi Iesu.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

Ioann. VI, 1-15.

18 Illo tempore: Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis:

2. et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Iesus: et ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed haec quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem focus multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Iesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superaverunt his qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

15. Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 24.

2110 **M**IRACULA quae fecit Dominus noster Iesus Christus, sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admovent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quae videri

oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assidue viderunt, ita ut penes nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viderant. Maius enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quatuor millium hominum de quinque panibus (IOANN. VI, 10 SS.): et tamen haec nemo miratur: illud mirantur homines non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terrae mandata, sed ab eo qui terram facit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis, ubi exercebatur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsam invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus.

2111 Nec tamen sufficit haec intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est. Hoc ergo miraculum, sicut audivimus quam magnum sit, quaeramus etiam quam profundum sit: non tantum eius superficie delectemur, sed

etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus, hoc quod miramur foris. Vidimus, spectavimus magnum quiddam, praeclarum quiddam et omnino divinum, quod fieri nisi a Deo non possit: laudavimus de facto factorem. Sed quemadmodum si litteras pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles, aequales decorasque fecit, nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit: ita factum hoc qui tantum inspicit, delectatur pulchritudine facti ut admiretur artificem; qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter videntur litterae. Picturam cum videris, hoc est totum vidisse, laudasse; litteras cum videris, non hoc est totum, quoniam commoneris et legere. Etenim dicis, cum videris litteras, si forte non eas nosti legere: quid putamus esse quod hic scriptum est? Interrogas quid sit, cum iam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, a quo quaeris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videris? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides et laudas; ille videt, laudat, legit et intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus et intelligamus.

2112 Dominus in monte (IOANN. VI, 3): multo magis intelligamus, quia Dominus in monte Verbum est in alto. Proinde non quasi humiliter iacet, quod in monte factum est: nec transeunter praetereundum est, sed suspiciendum. Turbas vidit, esurientes agnovit, misericorditer pavit: non solum pro bonitate, verum etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, ubi non erat panis, unde turba esuriens pascereetur? Nisi bonitati adesset potestas, ieiuna illa turba et esuriens remaneret. De-

nique et discipuli, qui erant cum Domino in fame, et ipsi turbas volebant pascere, ut non remaneret inanes, sed unde pascere non habebant. Interrogavit Dominus unde emerentur panes ad turbas pascendas. Et ait Scriptura: *Hoc autem dicebat tentans eum* (Ibid. 6): discipulum scilicet Philippum, quem interrogaverat. *Ipsae enim sciebat quid esset facturus.* Cui ergo bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat? Et forte in demonstratione ignorantiae discipuli aliquid significavit. Apparebit ergo, cum ipsum sacramentum de quinque panibus coeperit nobis loqui, et quid significet indicare: ibi enim videbimus, quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogando quod sciebat, ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus; aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille sciat quem interrogamus: utrumque hoc noverat Dominus: et quod interrogabat sciebat, quid enim esset facturus ipse noverat; et hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecerit, ut dixi, postea intelligemus.

2113 *Andreas ait: Est hic puer quidam qui habet quinque panes, et duos pisces, sed haec quid sunt ad tantos?* (IOANN. VI, 9). Cum dixisset Philippus interrogatus, ducentorum denariorum panes non sufficere, quibus tanta illa turba reficeretur, erat ibi quidam puer portans quinque panes hordeaceos et duos pisces. *Et ait Iesus: Facite homines discumbere.* *Erat autem ibi fenum multum, et discubuerunt ferme quinque millia hominum.* *Accepit autem Dominus Iesus panes, gratias egit, iussit, fracti sunt panes, positi ante discumbentes.* Non iam quinque panes, sed quod adiecerat, qui

creaverat quod auctum erat. *Et de piscibus quantum sufficiebat.* Parum est turbam illam fuisse satiatam, etiam fragmenta resciderunt: et ipsa colligi iussa sunt, ne perirent. *Et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum* (Ib. 13).

2114 Breviter ut curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi: merito non triticeae, sed hordeaceae, quia ad vetus Testamentum pertinent. Notis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam eius vix perveniat: vestitur enim eadem medulla tegmine paleae, et ipsa palea tenax et inhaerens, ut cum labore exuatur. Talis est littera veteris Testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum; sed si ad eius medullam perveniat, pascit et satiat. Ferebat ergo puer quidam quinque panes et duos pisces. Si quaeramus quis fuerit puer iste, forte populus Israel erat: sensu puerili portabat, nec manducabat. Illa enim quae portabat, clausa operabatur, aperta pascabant. Duo autem pisces videntur nobis significare duas illas in veteri Testamento sublimes personas, quae ungebantur ad populum sanctificandum et regendum, sacerdotis et regis. Et ipse in mysterio venit aliquando, qui per illas significabatur: venit aliquando qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam vero hordei occultabatur. Venit ipse unus utranque personam in se portans, sacerdotis et regis: sacerdotis per vitam, quam se ipsum obtulit pro nobis Deo: regis, quia regimur ab eo: et aperitur quae clausa portabantur. Gratias illi; implevit per se quod per vetus Testamentum promittebatur. Et frangi iussit panes: frangendo multiplicati sunt. Nihil verius. Quinque enim illi libri Moysi, quam multos libros cum exponuntur, tamquam frangendo, id est, disserendo, fecerunt? Sed quia

in illo hordeo ignorantia primi populi tegebatur, de quo primo populo dictum est: *Quandiu legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est* (II Cor. III, 15) (nondum enim ablatum erat velamen, quia nondum venerat Christus: nondum velum templi fuerat illo in cruce pendente conscissum), quia ergo ignorantia populi erat in lege, propterea illa Domini tentatio ignorantiam discipuli demonstrabat.

2115 Nihil igitur vacat, omnia innuunt, iste intellectorem requirit: nam et isde numerus pasti populi populum significabat sub lege constitutum. Cur enim quinque millia erant, nisi quia sub lege erant, quae lex quinque libris Moysi explicatur? Unde et quinque illis partibus languidi probebantur, non sanabantur (IOANN. V, 2). Ille autem ibi curavit languidum, qui et hic turbas de quinque panibus pavit. Nam et super fenum discumbebant (Ibid. VI, 10): carnaliter ergo sapiebant et in carnalibus quiescebant. *Omnis enim caro foenum* (Is. XL, 6). Quae sunt autem illa fragmenta, nisi quae populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quaedam secretiora intelligentiae, quae multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi ut secretiora intelligentiae, quae non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt et alios docere, sicut erant apostoli? Unde duodecim cophini impleti sunt (IOANN. VI, 13). Factum est hoc et mirabiliter, quia magnum factum est; et utiliter, quia spiritale factum est. Qui tunc viderunt, admirati sunt: nos autem non miramur cum audimus. Factum est enim ut illi viderent, scriptum est autem ut nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides. Cernimus quippe animo, quod oculis non potuimus; et praefati sumus illis, quoniam de nobis

dictum est: *Beati qui non vident et credunt* (Ibid. xx, 29). Addo autem, quia forte et intelleximus quod illa turba non intellexit. Et vere nos passi sumus, qui ad medullam hordei pervenire potuimus.

2116 Denique homines illi qui viderunt hoc, quid putaverunt? *Illi*, inquit, *homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, quia hic est vere propheta* (Ibid. vi, 14). Forte adhuc ideo Christum prophetam putabant, quia super fenem discubuerant. Erat autem ille Dominus prophetarum, impletor prophetarum, sanctificator prophetarum, sed et propheta: nam et Moysi dictum est: *Suscipite eis prophetam similem tui* (DEUT. XVIII, 18). Similem secundum carnem, non secundum maiestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, aperte in actibus apostolorum exponitur et legitur (ACT. VII, 37). Et ipse Dominus de se ait: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (IOANN. IV, 44). Propheta Dominus, et Verbum Dei Dominus, et nullus propheta sine Verbo Dei propheta: cum prophetis Verbum Dei, et propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora prophetas afflatos et impletos Verbo Dei; meruimus nos prophetam ipsum Verbum Dei: sic autem propheta Christus, Dominus prophetarum, sicut angelus Christus, Dominus angelorum. Nam et ipse dictus est *magni consilii Angelus* (Is. IX, 6. iuxta LXX). Verumtamen alibi quid dicit propheta? Quia non legatus, neque angelus, sed ipse veniens salvos faciet eos (Ibid. xxxv, 4); id est, ad salvos eos faciendos non mittet legatum, non mittet angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse angelus. Certe non per angelum, nisi quia iste sic angelus, ut etiam Dominus angelorum. Etenim angeli latine nuncii sunt.

Si Christus nihil annunciarer, angelus non diceretur: si Christus nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatio est nos ad fidem, et ad capessendam vitam aeternam: aliquid praesens annuntiavit, aliquid futurum praedixit; ex eo quod praesens annuntiavit, angelus erat; ex eo quod futurum praedixit, propheta erat; ex eo quod Verbum Dei caro factum est, et angelorum et prophetarum Dominus erat.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSIS, VOL. II, SERM. 56.)

PRIMO, inquam, dicit: *Humilitatis sum nimis, propter causam efficientem*. Ut aliquiliter autem intelligas stupendam abyssum humilitatis Passionis Christi, contemplare eius causam efficientem, quae fuit causa suae mortis, et in ea reperies stupendam abyssum opprobriosisimae mortis; et hoc septemplex respectu, seu ex septemplex ratione. Primo ratione religionis; secundo ratione perfectionis; tertio ratione cognitionis; quarto ratione unionis; quinto ratione sollicitudinis; sexto ratione ingratitudinis; septimo ratione familiaritatis, et conversationis.

Primo, inquam, ratione religionis fuit mors Christi abyssum opprobriosisimae humilitatis; solus enim Iudaicus populus erat in toto orbe terrarum sub cultu unius Dei, atque Dei populus appellatus. Maius enim vituperium est a verum Deum colentibus, quam ab idololatriis, et infidelibus pati; ideo in persona Domini ait Propheta, Psal.: *Amici mei, et proximi mei adversum me appropriaverunt et steterunt*. Ait enim amici mei, scilicet, propter cultum unius Dei, et proximi mei, quia ex semine Abrahae, *adversum me appropriaverunt*, scilicet, persequendo, et *steterunt*, scilicet, victores, *contra me*, videlicet, crudeliter occidendo.

Secundo, ratione perfectionis. Opprobriosis est mala perpeti ab his qui religiosi, et status perfecti et sancti aestimantur, quam a secularibus, ab ethnicis, et publicanis; Pharisei autem religiosioris, et perfectioris status aestimabantur in universo populo Dei, et maxime opera illorum mortuus est Christus. Nam Ioann. XVIII, interrogante eos Pilato, atque dicente: *Quam accusationem afferis adversus hominem hunc?* responderunt, et dixerunt ei: *si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum*, quasi dicat, hoc tibi sufficere debet, quod nos, qui sumus tantae auctoritatis et

aestimationis, cum tanta solemnitate eum tibi tradimus dignissime morti damnandum, tanquam reum; ut verificetur quod lamentabiliter Oseea vii, Dominus ait: *Ego redemi eos, et ipsi contra me locuti sunt mendacia*.

2120 Tertio, ratione cognitionis. Equidem, ceteris paribus, ignominiosus est opprobria pati ab intelligentibus, et peritis, quam ab ignorantibus, et indoctis; quam doctorum et peritorum in malefactoris detestatio, et reprobatio fide dignior reputatur. Christus autem a Doctoribus legis, et Scribis voluit reprobari, et condemnari ut, scilicet, fundaret fidem Passionis suae in virtute fidei, atque reprobarer sapientiam huius mundi. Proinde de talibus Doctoribus, et Scribis ignorantibus sapientiam Dei, Psal. cvi, ait: *Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius*, scilicet, tempore Passionis Iesu Christi; et *omnis sapientia eorum devorata est*, scilicet, ab invidia, et furore. Sed sicut I Cor. I, Apost. testatur: *Quod stultum est Dei, scilicet, ignominia mortis Christi, sapientius est hominibus*; et paulo ante inquit: *Perdant sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobandam*, scilicet, per formatam fidem et mysterium crucis.

2121 Quarto ratione concordiae, et unionis. Ignominiosus est quidem concorditer a toto populo crucifigi, quam si solum a quibusdam cum discordia plurimorum; quem nequitia delinquentis causa sit, et videatur ab omnibus manifesta, et clara, quod nulla possit tergiversatione celeri, vel excusari, et defendi. In Christi quidem necem consenserunt, id est, corruerunt mares, et feminae. Mares quidem, scilicet, Iudaei et Gentiles, et ex utrisque maiores, et minores, docti atque ignari, religiosi et saeculares. Primo enim fuerunt domestici, id est, affines, ut Iudas, et Iudaei: unde Zach. xiii in persona Domini ait: *His pligatus sum in domo eorum, qui me diligebant*, id est, qui me diligere debebant. Secundo fuerunt ibi extranei, id est, affines, et Romani: quoniam in persona Domini Propheta ait, Psal. lxxv: *Quoniam alium insurrexerunt adversum me; et fortes acquisierunt animum meum, et non proposuerunt Deum in conspectu suo; et iterum ait alibi, Psal. II: Quare fremuerunt gentes, etc.* Tertio fuerunt ibi nobiles, et magnates, id est, Herodes, et Pilatus; unde Psal.: *Asiderunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversum Dominum, et adversum Christum eius*. Quarto fuerunt ibi servi, et ignobiles; unde Iob III in persona Domini ait: *Fili stultorum, et ignobilium, et in terra penitus non parentes; nunc autem in eorum canticum versus sum, et factus sum eis proverbium*. Quinto fuerunt ibidem Pontifices, Scribae, et Pharisei; unde Ioann. xi, ait: *Collegerunt Pontifices, et Pharisei concilium adversus Iesum*. Sexto ibidem sae-

culares, et laici; unde Ioann. xix, dicitur: *Tolle, tolle, crucifige eum*; verba autem erant turbae, et populi minoris. Septimo ibidem fuerunt mulieres, sicut patet in accusantibus Petrum, ut patet Matth. xvi. Hi omnes corde, et ore, et opere contra Christum maligne conati sunt.

2122 Quinto ratione sollicitudinis, et importunitatis. Quando enim quidam saeclestus homo morti adiudicatur, quanto ab omnibus maiori sollicitudine traditur morti, tanto illum extitisse nequioris vitae et graviora scelera perpetrasse indicium est, ac periculosius esse videtur, mortem eius differre.

Contemplare igitur, mens devota, quod Dominus 2123 Iesus Christus primo media nocte captus est, delusus, et verberatus, impetuoso furore ad domum Annae deductus est, et ibi examinatus a ministro impio, comprehensus, et alapa percussus fuit; secundo, eadem rabie furibunda ad domum Caiphae deductus est, ibique fuit illusus, vultu velatus, facieque consputus, atque morti adiudicatus; tertio, a domo Caiphae ad domum Pilati, eodem impetuoso furore crudeliter traxerunt eum, ubi fuit accusatus, et multipliciter difamatus, et a Pilato diu-ersimode questionatus; quarto, eadem rabie furibunda, et crudelibus modis attractus fuit a domo Pilati ad domum Herodis; ibi extitit veste alba indutus, atque ludibrosio habitu velat stultus; quinto, eisdem crudelibus modis ab Herode ad Pilatum remissus est, et ibi post multas eximias conflictationes extitit denudatus, et flagellatus, et in regali sollo derisorie constitutus, spinis atrocissimae coronatus, et arundine caput eius percussus; sexto, iam sic multipliciter cruciatus, et coronatus, populo est praesentatus, atque crucifigi a populo acclamatus, et tandem crucifigi per Pilatum est iudicatus; septimo, tandem ebrio furore ad Calvariae montem deducentes eum crucifixerunt, et occiderunt.

2124 Considera ergo, mens devota, quanta sollicitudine, et importunitate, immo quanto impetuoso furore illum nocte media capientes, et hinc inde veluti ludibris pilam circumrotantes, ante matutinum, ut eum caperent, post matutinum, ut eum occiderent non dormientes, usquequo illud perficerent, infatigabiles extiterunt; ad vix eum per diem medium naturalem vivere passi sint. Ex quibus evidens est quod ex ebrio furore populi Christus crucifixus est: unde Matth. xxvii, dicitur quod populus clamavit, *crucifigatur*. Sequitur: *Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, scilicet, ad liberandum eum, propter furorem populi, lavit manus suas, et tradidit eis Iesum, ut crucifigeretur*; unde Proverb. xxvii: *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor*.

2125 Sexto ratione ingratitudinis, quam enim multitudo populi cum habentibus cultum religionis, et peritiam legis multa beneficia ab uno susceperit,

atque post illa beneficia illi in summo ingratus reperitur; etsi iudicium sit, quod populus ille efficiatur ingratitude plenus; non tamen est absque argumento impietatis adversus beneficium, ita quod in eo finaliter reperta sit iniquitas talis et tanta, quod praeponderanda sit beneficiis ante factis; immo quod a viris magnae vitae, scientiae, atque famae priora beneficia iuste debeant oblivioni tradi.

2126 Sic contingit benefico Christo; nam antiquitus quum Iudaicum populum sibi peculiarem constituisset, ab Aegypti ergastulo, et a servitute Pharaonica liberavit, sicque pede per mare rubrum transduxit, manna coeleste in deserto annis quadraginta pavit, legem dedit, et ut tueretur eos, in columna nobis in die, et ignis in nocte, illos praecessit, hostes eorum prostravit, terram optinam eis dedit, Prophetas eis misit, demumque ad omnium complementum ipse carnem de genere eorum assumens, liberator, et salvator eorum venit. Denique post admirandam eius conversationem, post praedicationis instructionem, et illuminationem, daemonum expulsionem, leprosorum atque omnium infirmitatum curationem, post mortuorum suscitationem, regni coelorum declarationem, atque Sacramentorum institutionem, manus in eum sacrilegas iniecerunt, flagellaverunt, et tandem sicut maximum malefactorem inter latrones in crucis patibulo crucifixerunt, suspenderunt, et occiderunt. Proinde Propheta in persona Domini lamentabiliter ait, Psal. xxxiv: *Retribuunt michi mala pro bonis; sterilitatem animae meae; et idem alibi ait, Psal. cxviii: Posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea;* et iterum idem inquit, Psal. xxxvii: *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant michi, quoniam sequebar bonitatem;* et Ier. xviii, etiam in persona Domini ait: *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam, id est, prodicionem, animae meae? recordare, quia steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, et averterem indignationem tuam ab eis.*

2127 Septimo ratione familiaritatis; gravius enim et ignominiosius est pati a domesticis, et ab amicis, quam ab extraneis, ignotis et inimicis. Audi quid de Christo Prophetae dicant, et considera. Primo, quid de Iuda Propheta in persona Domini inquit, Psal. xi: *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Secundo, de reliquis Apostolis relinquuntibus eum, Is. lxxiii, in persona Domini ait: *Tortular ego calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum;* et iterum, Psal. lxxxviii: *Elongasti, scilicet, permissive, o Pater aeternae, a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria;* et iterum Thren. iv admiranter inquit: *Quomodo dispersi sunt lapides sanctuarii, id est, Apostoli,*

et discipuli. Et Iob xix: *Noti mei, quasi alieni recesserunt a me.* Tertio generaliter de omnibus, in quibus etiam Dominus miracula fecit, Dan. ix cap. scriptum est: *Occiditur Christus, et non erit ei populus;* et iterum Propheta inquit, Psal. cxli: *Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me;* non autem dixit ad sinistram, quia ibi erat Beata Virgo pro peccatoribus orans, secundum Alex. de Ales super Psalterium exponentem hunc versum.

Secundo etiam ait: *Humiliatus sum nimis, scilicet, per causam materialem, ut etiam intelligas aliquoties stupendam abyssum humilitatis Passionis Christi, contemplare etiam causam materialem quae stupendo modo aggravat vituperium eius; et hoc maxime ex alia septemplex ratione. Primo ratione nobilitatis naturae; secundo ratione formae; tertio ratione sapientiae; quarto ratione gratiae; quinto ratione famae; sexto ratione sequelae; septimo ratione gloriae.*

2129 Primo opprobriosisima fuit mors Christi ratione nobilitatis naturae. Quanto enim homo nobilior est, tanto ignominiosa mors sibi illata vituperabilior, atque opprobriosior reputatur, sicut patet in Rege; sic contingit in Christo qui quam esset magnus in natura, factus est vilissimus in ignominia. Proinde Apocalyps. ii loquitur ait: *Haec dicit primus et notissimus, qui fuit mortuus, et vivit; notissimus per contemptum, abiectionem, et opprobrium hominum voluit esse Christus, qui tantas contumelias, et terrores in morte sua ab hostibus perpeti voluit, ut sicut peccator nefarius in medio latronum, quasi maior inter eos mori dignatus est. Adhaeret autem abiectionis eius vilitatem, atque confusionis immensitatem altitudo personae, et dignitatis suae; quum enim esset Filius Dei, primus in dignitate, quum sit coequalis aeterno Patri; tanto contumeliae, et opprobria quae pertulit ignominiosiora merito extiterunt, quanto dignitas erat in eo maior. Si quis ergo confusiones palitur, non aegre ferat, quum nullus minor, nihil maius Filio Dei: sed nec abiectiona perpeti possit.*

2130 Vis audire etiam nobilitatem suae naturae? audi Isaiam, qui lxx cap. obstupendo ait: *Generationem eius quis enarrabit? quia abscessus est a terra viventium.* Ait enim: *Generationem eius, scilicet, aeternam, qua, secundum Hieronymum, erat de patre sine matre, et temporalem qua erat de matre sine patre: Quis enarrabit? nam eius generatio aeternalis a nullo comprehenditur potest;* unde Eccli. xliii in fine: *Ne laboratis, non enim comprehendetis; quis videbit eum et enarrabit? et quis magnificabit eum, sicut est a principio?* Nobilitas autem et generatio eius corporalis, ac temporalis, quam, scilicet, traxit a Virgine

matre, super omnes Reges, Duces, et Imperatores fuit etiam secundum carnem, sicut aperte ostenditur Matth. i, ubi perspicaciter intuenti apparebit in quadraginta Ducum generationibus genealogiae eius descendisse de quatuordecim Patriarchis, et quatuordecim Regibus, et quatuordecim Ducibus, secundum carnem, sicut plenus in Quadragesimali de Christiana Religione, ser. 11, art. 1, c. 1 monstratum est.

2131 Et de opprobriosa morte eius, Is. Propheta subiungit dicens, quod: *Abscessus est de terra viventium, scilicet, per tam ignominiosam mortem, quanta est sublimis natura nobilitatis eius, tam secundum divinitatem, quam secundum humanitatem.* Ex quo patet, quod Christus gloria Angelorum, factus est ludibrium peccatorum; altus in dignitate, infimus in vilitate; sublimis in gloria, abiectus in ignominia. Ideo ad Philipp. ii, Apostolus ait: *Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalen Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; in similitudinem hominum factus, et habitu inventus, ut homo, humiliter semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Merito Bern. ait: *Quanto se fecit minorem humilitate; tanto se ostendit maiorem bonitate; et quanto fuit eis vilior, tanto est illi clarior.*

2132 Secundo ratione formae; quanto enim res formosior est, tanto deformitas eius magis stupenda, atque deformis apparet, sicut patet in facie hominis, in qua deformitas maior est, quam in ceteris membris corporis. Quanta autem speciositas fuit in Christo, Propheta ostendit, dicens, Psal. xliiv: *Speciosus forma prae filiis hominum.* Forma inquit, id est, luce, candore, et habitu. Primo luce; unde Eccli. xliii ait: *Mundum illuminans in excelsis Dominus.* Secundo candore; proinde dicitur Sap. vii: *Candor est lucis aeternae.* Tertio habitu; unde Is. xeni, dicitur: *Iste forniosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suae; et iterum Iob xi, ait: Circunda tibi decorem, et in sublime erigere.* Et addit Propheta, dicens: *Prae filiis hominum; quia scilicet, de pulchritudine eius acciperent omnes, quum ipse sit speciei generator, ut dicitur Sap. xiii, ubi loquens de creaturis, sic ait: Quod si specie delectati deos putaverunt, sicut quanto his dominator eorum speciosior est.* Et posset hic Propheta dicere: *Speciosus forma prae Angelis Dei;* quia etiam Angelis Dei speciosior est; sed quia commendat Christum hominem, ideo melius inquit in Psal. xliiv: *Prae filiis hominum.* Signum quidem pulchritudinis suae etiam super Angelos est quod in eum prospicere desiderant Angeli (I PETR. 1).

2133 Est enim pulcher secundum divinitatem, et se-

cundum humanitatem; proinde Cant. v, Salomon ait: *Dilectus meus candidus, et rubicundus; candidus, quantum ad munditiam humanitatis; et rubicundus, quantum ad splendorem divinitatis.* Et sequendo Salomon ait: *Caput eius aurum optimum;* per caput, eius divinitas denotatur, quia *caput Christi Deus, sicut Apost. I Cor. xi, inquit.* Hanc duplicem pulchritudinem in transfiguratione monstravit Christus: sicut Matth. xvii, patet, unde dicitur tibi: *Resplenduit facies eius sicut sol; et vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Per faciem divinitas designatur, sicut Exod. xxxiii Moysi Dominus ait: *Faciem meam videre non poteris.* Per vestimenta autem humanitas designatur; quia Philipp. ii, testatur Apost. dicens: *Habitu inventus ut homo.*

2134 Quanta autem fuerit deformitas eius in Passionem, in persona omnium Prophetarum ostendit Is. lxi cap. dicens: *Non est species ei, neque decor.* Species dicit elegantiam, et debitam mensuram membrum quam non habuit Christus in cruce propter nimiam membrorum extensionem; unde Propheta ait, Psal. cxi: *Diverterunt omnia ossa.*

2135 Decor dicit convenientiam coloris, et aliorum adiacentium; hunc etiam non habuit Christus in cruce propter poenam, dolorem, et ignominiam passionis; habuit enim cervicem ipsam pro spineam coronam; faciem tumidam, et pollutam propter lacrymas, atque sputa; carnem lividam propter colaphos, alapas, et flagella; universam corporis fabricam cruentatam sanguine, quia *vulneratus est propter iniquitates nostras, sicut Isaias ubi supr. inquit.* Et quia Christus ante passionem habebat aspectum, et praesentiam maiestatis, dignitatis, prosperitatis, et potestatis; et in passione fuerunt abscondita; ideo Is. subdit, dicens: *Et vidimus eum, scilicet, nudatum in cruce, et non erat aspectus, scilicet, magnificus, sicut ante; ecce abscondio maiestatis; et desideravimus eum, scilicet, despectum a Iudaeis, et notissimum virorum, id est, vilissimum propter genus mortis; esse, doctores dignitatis; virum dolorem, id est, doloribus plenum, sicut ex praecedentibus patet; et hoc contra prosperitatem; et scientiam infirmitatem, scilicet, per experientiam, non tantum speculative; et hoc contra potestatem.* Et tandem Is. subdit: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, id est, vilem, et abominabilem, tanquam leprosum, propter vilitatem aspectus eius, quae deformitatem eius.* Et iterum Psal. cxi in persona Domini ait: *Ego autem sum vermis, et non homo, id est, ita sum vilissimus, et conculcatus, velut non homo, sed ut vermis; opprobrium hominum et abiectione plebis.* Est enim opprobrium quando

aliquid turpe impatur homini ut quum Ioann. xvii, dicebant contra Christum: *Tu homo quam sis, facis leprosum Deum*; et sic sub hoc titulo fecerat eum *opprobrium hominum*, scilicet, peccatorum; et addit: *abiectione plebis*, scilicet, Iudaeorum, quando eo abiectione, Barabbam petierunt; unde Luc. xxiii, dixerunt: *Tolle hunc, et dimitte nos Barabbam*.

2136 Tertio ratione sapientiae quanto enim homo sapientior reputatur, tanto mors opprobriosa ignominiosior est; sed Christus quum esset sapientia Dei Patris, non tantum a iustis, et ab illuminatis sapientes putabatur, verum etiam ab ignorantibus et indoctis; unde Ioan. vii. Ministri Pontificum Iudaeorum, et Pharisaeorum ad Christum capiendum missos, redeuntes interrogati sunt *quare non adhaeristis illum?* responderunt ministri: *Nunquam sic locutus est homo*, sicut homo hic loquitur; quasi dicant, admirabilis gratia et efficaciam verborum eius mentes nostras stupefecit, et miro modo detinuit, ne caperemus eum. Ex qua quidem responsione videtur, quod ministri vim faciant tam in stupendo et efficacissimo modo loquendi ipsius Christi quam in rebus ab eo dictis.

2137 Et in eodem cap. Ioann. ait: *Ascendit Iesus in templum, et dicebat, et mirabantur Iudaei*, propter rem insolitam; credebant enim eum esse filium Iosephi, et per consequens in manuali opere occupatum. Sciebant enim eum non fuisse in studio exercitatum, et tamen videbant illum excellentissime docentem, legis et Prophetarum testimonia proferentem; ideo mirabantur dicentes: *Quomodo litteras scit, quum non didicerit eas*, quas litteras videmus scire? Tanta enim, secundum Chrysostomum erat virtus docentis, ut qui dixerant *seducit turbas*, transmutati mirentur. Respondit eis Iesus, et dixit: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit*; quasi dicat: *Ista doctrina quae est mea approbative, et subiective, non est mea per exercitium humanae acquisitionis; sed data est mihi a Patre; quia Filius Dei, secundum naturam divinam licet habeat eandem scientiam cum Patre, tamen habet illam ab eo; secundum naturam humanam habet aliam scientiam creatam, non tamen habet illam acquisitam, sed ab instanti conceptionis infusam.*

2138 Quum igitur tanta sapientia praefulgeret, tamen Scribae et Pharisei in vita et in morte diffamaverunt eum. Primo in vita, de insipientia naturali; secundo de insipientia accidentali; tertio de insipientia spiritali, et divina. Primo de insipientia naturali, unde Ioan. x, dicebant: *Iusanit, quid cum audisti?* et iterum Marc. iii dixerunt: *Quomodo in furorem versus est.*

2139 Secundo diffamaverunt eum de insipientia acci-

dentali, et litterali: nam quum Ioan. vii, sicut dictum est, dicerent: *Quomodo hic litteras scit, quum non didicerit?* satis elici potest quod satis admiratio partim ex susceptione, et partim ex dejectione, atque ex mala interpretatione de haeresi procedebat; quod apertius ostendebat Matth. ult, dicens, quod: *ex hoc scandalizabatur in eo.*

2140 Tertio diffamaverunt eum de insipientia spiritali, ac divinali, illam haereticam reputantes, sicut (IOANN. VIII). Samaritanum eum dicebant, scilicet, in divino cultu haereticum. Secundo in fine vitae eum de summa stultitia quae est ultima infamia, ac blasphemia contra Deum, illam infamaverunt, et condemnaverunt. Unde Matth. xxvi, constitutus coram Caipha Principe Sacerdotum, interrogante atque dicente: *Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei*. Dixitque illi Iesus: *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli*. Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam; quid vobis videtur?* At illi respondentes dixerunt: *Rens est mortis*. Ex hoc enim illum tanquam summe stultum crucis patibulo affixerunt, et confusione ultima eum occiderunt; unde Prov. iii, Salomon in persona Domini, ait: *Stultissimus sum virorum*, scilicet, aestimatione istorum; et *sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam*, scilicet, per acquisitionem, et *non novi scientiam sanctorum*; et iterum Propheta ait, Psal. lxxviii: *Deus, tu scis insipientiam meam*, id est, quod quasi insipiens patior; nam non immerito reputatur stultus mercator, qui pro vili re laborat ad mortem, et pretium magnum expendit pro vilissima merce: *Sed tu Deus scis insipientiam hanc meam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (I. Cor. 13).

FERIA SECUNDA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. II, 13-25.

18. In illo tempore: Prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam:

19. et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et nummularios sedentes.

20. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit:

21. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

22. Recordati sunt vero discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuae comedit me.

18. Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia haec facis?

19. Respondit Iesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta et sex annis edificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, et crederunt Scripturae, et sermoni quem dixit Iesus.

23. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi crederunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat.

24. Ipse autem Iesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes.

25. et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 16.

2141 **R**eprope erat pascha iudaeorum, et ascendit Ierosolymam. Aliam rem narrat, sicut se habebat recordatio annuncians. *Et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas, et nummularios sedentes: et cum fecisset quasi flagellum de resticulis, omnes eiecit de templo: boves quoque et oves, et nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit; et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* (IOANN. II, 13 ss.). Quid audivimus, fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, et eiecit inde Dominus omnes, qui sua quaerebant, qui ad nundinas venerant. Et quae ibi vendebant illi? Quae opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim Charitas vestra, quod sacrificia illi populo pro eius carnalitate et corde adhuc lapideo talia data sunt, qui bus teneretur ne in idola deflueret; et immolabant ibi sacrificia, boves, oves et columbas: nostis, quia legis. Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur ut offerretur in templo; et tamen eiecit illos. Quid, si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus; si vendentes ea quae licita sunt, et contra iustitiam non sunt (quae enim

honeste emuntur, non illicite venduntur), expulit tamen, et non est passus domum orationis fieri domum negotiationis? Si negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, strident dentibus suis adversus nos: et consolatur nos psalmus quem audistis: *Striderunt super me dentibus suis* (PSAL. XXXIV, 16). Novimus et nos audire unde curremur, etsi ingeminantur flagella Christo, quia flagellatur blasphemis falsorum christianorum: multiplicat flagella Domino suo, et nesciunt. Faciamus nos, quantum ipse adiuvat: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in ieiunio animam meam* (Ibid. 13 ss.).

Dicimus tamen, fratres (non enim et ipse pepercit illis: qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellavit), signum quoddam nobis ostendit, quod fecit flagellum de resticulis, et inde indisciplinatos, negotiationem de Dei templo facientes, flagellavit. Etenim unusquisque in peccatis suis restem sibi textit. Propheta dicit: *Vae his qui trahunt peccata sicut restem longam!* (Is. v, 18, iuxta LXX). Quis facit restem longam? qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? Cum peccata, quae facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis. Furtum fecit, ne inveniatur quia fecit, quaerit mathematicum. Sufficeret furtum fecisse: quare vis adiungere peccatum peccato? ecce duo peccata. Cum ad mathematicum prohiberi accedere, blasphemias episcopum: ecce tria peccata. Cum audis, mitte illum foras de Ecclesia; dicitis: *Duco me ad partem Donati*: ecce addis quartum. Crescit restis: time restem. Bonum est tibi, ut hic inde cum

flagellaris, corrigaris; ne in fine dicatur: *Ligate illi pedes et manus et proiicite eum in tenebras exteriores* (MATTH. XXII, 13). Croniculus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur (PROV. V, 22). Illud Dominus dicit, illud alia Scriptura dicit: sed utrumque Dominus dicit. De peccatis suis ligantur homines, et mittuntur in tenebras exteriores.

2143 Qui sunt tamen qui vendunt boves? ut in figura quaeramus mysterium facti. Qui sunt qui oves vendunt et columbas? Ipsi sunt qui sua quaerunt in Ecclesia, non quae Iesu Christi. Venale habent totum, qui nolunt redimi: emi nolunt, et vendere volunt. Bonum est enim eis ut redimantur sanguine Christi, ut perveniant ad pacem Christi. Quid enim prodest acquirere in hoc saeculo quod libet temporale et transitorium, sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris et gutturis, sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus et ventus? nonne omnia transeunt, currunt? Et vae his qui haeserint transcutibus, quia simul transeunt. Nonne omnia fluvius praecipit currens in mare? Et vae qui ceciderit, quia in mare trahetur. Ergo tenere debemus omnes affectus a talibus concupiscentiis. Fratres mei, qui talia quaerunt, vendunt. Nam et Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum (ACT. VIII, 18); et putabat apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello eiecit. Talis enim ipse erat, et quod venderet emere volebat: de illis erat qui columbas vendunt. Et enim in columba apparuit Spiritus sanctus. Qui ergo vendunt columbas, fratres, qui sunt, nisi qui dicant: Nos damus Spiritum sanctum? Quare enim hoc dicunt, et quo pretio vendunt? pretio honoris sui. Accipiunt pretium cathedras temporales, ut videantur ipsi vendere columbas. Caveant a flagello

de resticulis. Columba non est venalis: gratis datur, quia gratia vocatur. Ideo, fratres mei, quomodo videtis eos qui vendunt, propolarios, quisque quod vendit laudat: quot proposita fecerunt? Alterum propositum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi et illi, quos iam nec nominare sufficimus. Circuit ergo aliquis emere columbam, unusquisque ad propositum suum laudat quod vendit. Avertatur illius cor ab omni vendente, veniat ubi gratis accipitur. Nec sic erubescunt, fratres, quia per ipsas dissensiones suas amaras et malitiosas, cum sibi tribuunt quod non sunt, cum extolluntur putantes se aliquid esse cum nihil sint, tot partes de se fecerunt. Sed quid in eis impletum est quod nolunt corrigi, nisi quod audistis in Psalmo: *Discissi sunt, nec compuncti sunt?* (PSAL. XXXIV, 16).

2144 Qui ergo boves vendunt? Boves intelliguntur, qui nobis Scripturas sanctas dispensaverunt. Boves erant apostoli, boves erant prophetae. Unde dicit Apostolus: *Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus pertinet ad Deum? An propter nos dicit? Propter nos enim dicit: quia debet in spe qui arat arare, et triturans in spe participandi* (I COR. IX, 9). Ergo illi boves reliquerunt nobis memoriam Scripturarum. Non enim de suo dispensaverunt, quia gloriam Domini quaesierunt. Quid enim audistis in ipso Psalmo? *Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius* (PSAL. XXXIV, 27). Servus Dei, populus Dei, Ecclesia Dei. Qui volunt pacem Ecclesiae ipsius, magnificent Dominum non servum: *et dicant semper: Magnificetur Dominus.* Qui dicant? Qui volunt pacem servi eius. Ipsius populi, ipsius servi vox est illa evidens, quam in la-

mentationibus audistis in Psalmo, et movebamini cum audiretis, quia inde estis. Quod cantabatur ab uno, de omnibus cordibus resonabat. Felices qui se in illis vocibus tamquam in speculo cognoscebant. Qui ergo volunt pacem servi eius, pacem populi eius, pacem unius, quam dicit unicum et quam vult erui a leone: *Erue de manu canis unicum meam?* (IB. XXI, 21, 22). Qui dicunt semper: *Magnificetur Dominus.* Ergo boves illi Dominum magnificaverunt, non se. Videte bovem magnificentem Dominum suum, quia agnovit bos possessorem suum: attendite bovem timentem ne deseratur possessor bovis et in bove praesumat, quomodo expavescit eos, qui volunt in illo ponere spem: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* (I COR. I, 13). Quod dedi, non ego dedi: gratis accepistis, columba de coelo descendit. *Ego, inquit, plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (Ibid. III, 6 ss.). *Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius.*

2145 Isti autem de Scripturis ipsis fallunt populos, ut accipiant ab ipsis honores et laudes, et non convertantur homines ad veritatem. Quia vero ipsis Scripturis fallunt populos, a quibus quaerunt honores; vendunt boves, vendunt et oves, id est ipsas plebes. Et cui vendunt nisi diabolo? Namque, fratres mei, si Christi unica Ecclesia est, et una est: quidquid inde praeciditur, quis tollit, nisi leo ille rugiens et circumiens, quaerens quem devoret (I PETR. V, 8). Vae his qui praeciduntur! nam illa integra permanebit. Novit enim Dominus qui sunt eius (II TIM. II, 19). Tamen quantum in ipsis est, vendunt boves et oves, vendunt et columbas: observent flagellum

peccatorum suorum. Certe quando aliquid tale patiuntur propter istas iniquitates suas, agnoscat quia Dominus eiecit flagellum de resticulis, et ad hoc admonet eos, ut mutant se, ut non sint negotiatores; nam si se non mutaverint, audient in fine: *Ligate illis manus et pedes, et proiicite in tenebras exteriores* (MATTH. XXII, 13).

2146 Tunc scriptum esse: *Zelus domus tuae comedit me* (PSAL. LXVII, et IOANN. II, 17), recordati sunt discipuli: quia zelus domus Dei eiecit istos de templo Dominus. Fratres, unusquisque christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia, quae forte ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emendari, non quiescit; si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutitur de area granum, sustinet paleam; ut intret in horreum, cum palea fuerit separata. Tu ante horreum, si granum es, noli excuti de area; ne prius ab avibus colligaris, quam in horreum congregeris. Aves enim coeli aerae potestates expectant aliquid aerae de area, et non rapiunt nisi quod inde fuerit excussum. Ergo zelus domus Dei comedat te: unumquemque christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim magis est domus tua, quam domus ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid perversum fiat satagis; in domo Dei, ubi salus proposita est et requies sine fine, debes pati quantum in te est, si quid forte perversum videris? Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum? prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere et inebriari velle, et hoc velle in locis sanctis, quod nus-

quam deest? prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire; noli tamen quiescere. Amicus est? admoneatur leniter. Uxor est? severissime refrenetur. Ancilla est? etiam verberibus compescatur. Fac quidquid potes, pro persona quam portas; et perficis, *Zelus domus tuae comedit me*. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, et quasi tibi sufficiens, et dicens in corde tuo: Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea; ipsam integram servem Deo: eia, non tibi venit in mentem servus ille qui abscondit talentum et noluit erogare? (MATTH. XXV, 25). Numquid enim accusatus est, quia perdidit, et non quia sine lucro servavit? Sic ergo audite, fratres mei, ut non quiescatis. Ego vobis consilium daturus sum: det ille qui intus est; quia etsi per me dederit, ille dat. Nostis quid agatis unusquisque in domo sua cum amico, cum inquilino, cum cliente suo, cum maiore, cum minore: quomodo dat Deus aditum, quomodo aperit ianuam verbo suo, nolite quiescere lucrari Christo, quia lucrati estis a Christo.

2147 *Dixerunt illi iudaei: quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* Et Dominus: *Solveite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo iudaei: Quadragesima et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu dicis, in tribus diebus excitabo illud?* (IOANN. II, 18. ss.). Caro erant, carnalia sapiebant: ille vero loquebatur spiritualiter. Quis autem possit intelligere de quo templo dicebat? Sed non multum quaerimus; per evangelistam nobis aperuit, dixit, de quo templo diceret: *Solveite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Quadragesima et sex annis aedificatum est templum, et triduo suscitabis illud?* Dicebat autem, ait evangelista, de templo corporis sui. Et ma-

nifestum est occisum Dominum post triduum resurrexisse. Hoc modo omnibus nobis notum est: et si Iudaeis clausum est, quia foris stant; nobis tamen apertum est, quia novimus in quem credimus. Ipsius templi solutionem et reaedificationem anniversaria solemnitate celebraturi sumus: ad quam vos exhortamur, ut praeparetis vos, si qui estis cathecumeni, ut accipiatis gratiam: iam nunc tempus est, iam nunc parturiatur quod tunc nascatur. Ergo illud novimus.

Sed forte hoc exigitur a nobis, utrum habeat aliquod sacramentum quadragesima sex annis aedificatum templum. Sunt quidem multa, quae hinc dici possint; sed quod breviter dici potest et facile intelligi, hoc interim dicimus. Fratres, diximus iam, nisi fallor, hesternodie, Adam unum hominem fuisse, et ipsum esse totum genus humanum. Nam ita diximus, si meministis. Quasi fractus est et sparsus colligitur, et quasi conflatur in unum societate atque concordia spirituali. Et gemit unus pauper modo ipse Adam, sed in Christo innovatur: quia sine peccato venit Adam, ut peccatum Adam solveret in carne sua, et ut redintegraret sibi Adam imaginem Dei. De Adam ergo caro Christi; de Adam ergo templum quod destruxerunt iudaei, et resuscitavit Dominus triduo. Resuscitavit enim carnem suam: videte, quia Deus erat aequalis Patri. Fratres mei, dicit apostolus: *Qui cum excitavit a mortuis*. De quo dicit? de Patre? *Factus*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus illum excitavit a mortuis, et dedit ei nomen quod est super omne nomen* (PHILIPP. II, 8). Resuscitatus et exaltatus est Dominus. Resuscitavit eum quis? Pater, cui dixit in Psalmis: *Excita me, et reddam illis* (PSAL. XI, 11.). Ergo Pater eum resuscitavit.

Non se ipse? Quid autem facit Pater sine Verbo? Quid facit Pater sine Unico suo? Nam audi quia et ipse Deus erat: *Solveite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Numquid dixit: *Solveite templum, quod triduo Pater resuscitet?* Sed quomodo cum Pater suscitavit, et Filius suscitavit; sic cum Filius suscitavit, et Pater suscitavit: quia Filius dixit: *Ego et Pater unum sumus* (IOANN. X, 30).

2149 Quid ergo sibi vult numerus quadragesimarius senarius? Interim ipse Adam, quia per totum orbem terrarum est, audistis iam hesternodie in quatuor litteris graecis quatuor verborum graecorum. Si enim ista verba quatuor scribas sub invicem, id est, nomina quatuor partium mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis et Meridiani, quod est totus orbis; unde dicit Dominus a quatuor ventis collecturum se electos suos, cum venerit ad iudicium (MARC. XIII, 27): si enim facias ista quatuor nomina graeca, *ἀνατολή*, quod est Oriens, *δύσις*, quod est Occidens, *ἀρκτος*, quod est Septentrio, *μεσημβρία*, quod est Meridies: *Anatole, dysis, arctos, mesembria*, capita verborum Adam habent. Quomodo ergo ibi invenimus et quadragesimarium senarium numerum? quia caro Christi de Adam erat. Ad litteras numeros computant Graeci. Quod nos facimus a litteram, ipsi lingua sua ponunt α , et vocatur *alpha* α , unum. Ubi autem in numeris scribunt *beta* β , quod est *beta* ipsorum, vocatur in numeris duo. Ubi scribunt *gamma* γ , vocatur in numeris ipsorum tria. Ubi scribunt *delta* δ , vocatur in numeris ipsorum quatuor: et sic per omnes litteras numeros habent. *M* quod nos dicimus et illi dicunt *my* μ , quadragesima significat: dicunt enim *my* μ *resurrectionis*. Iam videte istae litterae quem numerum habeant; et ibi invenietis quadragesima sex annis aedificatum templum.

Habet enim Adam *alpha* α , quod est unum: habet *delta* δ , quod sunt quatuor; habes quinque: habet iterum *alpha* α , quod est unum; habes sex: habet et *my* μ , quod est quadragesima: habes quadragesima sex. Haec, fratres mei, etiam ab anterioribus maioribus nostris dicta sunt, et inventus est iste numerus in litteris quadragesimarius senarius. Et quia Dominus noster Iesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit; templum corporeum inde sumpsit, non iniquitatem quae de templo pellenda est: ipsam autem carnem, quam traxit de Adam (Maria enim de Adam et Domini caro de Maria), iudaei crucifixerunt; et ille resuscitaturus erat ipsam carnem in triduo, quam illi in cruce erant occisuri: illi solverunt templum quadragesima sex annis aedificatum, et ille in triduo resuscitavit illud.

Benedicimus Domino Deo nostro, qui ad laetitiam spiritualem congregavit nos. Simul in humilitate cordis semper, et gaudium nostrum penes ipsum sit. Non de prosperitate aliqua huius saeculi inflemur, sed noverimus felicitatem nostram non esse nisi cum ista transierint. Modo gaudium nostrum, fratres mei, in spe sit: nemo gaudeat quasi in re praesenti, ne haereat in via. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitae aeternae sit. Omnia suspiria Christo anhelent: ille unus pulcherrimus, qui et foedus dilexit ut pulchros faceret, desideretur; ad illum unum curratur, illi ingemiscatur; et dicant semper, *magnificetur Dominus, qui volunt pacem servus eius* (PSAL. XXXIV, 27).

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. II, SERM. 56.)

2151 **Q**UARTO ratione gratiae seu potentiae, scilicet, miracula operandi. Miracula enim quae fecit Deus in mortali carne, fide dignum, efficacissimum, atque sufficientissimum testimonium perhibebat veritatis et humanitatis suae, sicut ipse Ioann. v testatur, dicens: *Opera quae dedit mihi Pater ut faciam, ipsa testimonium perhibent de me, scilicet, quod sim Deus et homo.*

2152 Considera igitur circa Christi miracula haec tria. Primo sufficientiam; secundo concedentiam; tertio potentiam. Primo considera sufficientiam miraculorum; nam fuerunt suae divinitatis testimonium sufficiens et fide dignum; et hoc maxime propter tria. Primo propter speciem operum; secundo propter modum; tertio vero propter documentum. Primo vero propter speciem operum; quia transcendebant omnem potestatem creatae naturae, propterea non poterant fieri, nisi divina virtute; unde Ioann. ix, caecus ait: *A saeculo non est auditum, quia aperuit aliquis oculos caeci nati; nisi hic esset a Deo non poterat facere quidquam.* Secundo propter modum, quia propria virtute miracula fecit; unde Luc. vi, dicitur: *Virtus de illo exibat et sanabat omnes,* et super illud Matth. viii: *Et eiciebat spiritus verbo, et male habentes curabat.* Chrysost. ait: Intende quantum multitudinem curatam monstrant Evangelistae, unumquemque curatum non enarrantes sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes; ut ex hoc ostenderetur quod habebat Deo Patri coaequalem virtutem, iuxta illud Ioann. v: *Quaecumque Pater facit, haec et Filius facit.* Tertio propter documentum, id est, propter doctrinam qua se Deum, et Dei Filium asserbat; quae nisi vera fuisset, nequaquam ei divina virtus astisset in miraculorum patracione; et haec est omnium ratio fortior; nam impossibile est tam scelesto mendacio, quantum esset istud, si non foret verum, ipsum Deum ferre testimonium per opera infinitae virtutis, quae sunt miracula vera.

2153 Secundo considera in miraculis Christi concedentiam; concedens enim fuit Christo talia miracula facere. Propter duo enim conceditur divinitus homini miracula facere. Primo quidem ad confirmandam doctrinam veram; nam quae fidei sunt humanam rationem excedunt, et non possunt de facili simplicibus rationibus probari. Oportet ergo ut operantur per opera virtutis Dei; ut dum aliquis facit opera quae solus Deus facere potest, quae sunt miracula, creduntur a Deo procedere; quae dicuntur quodammodo litterae sigillatae regis sigillo, et ex voluntate Regis manare creduntur. Proinde Christus miracula fecit, quae fuerunt quasi

sigilla Dei, in quibus se Deum esse probavit. Et licet aliquo modo diminuatur fidei meritum, inquantum per haec auditoris demonstratur duritia; tamen melius est eis quod per miracula convertantur, quam quod sine eis in infidelitate sua permanent; ideo I Cor. xi dicitur: *Signa infidelibus data sunt, scilicet, ut convertantur ad fidem.*

2154 Secundo autem sunt miracula ad ostendendum in homine Dei potentiam; ut, scilicet, dum homo facit opera soli Deo possibilia, credatur Deus per gratiam habitare in eo; unde dicitur ad Galat. iii: *Qui tribuit nobis spiritum, et operatur in nobis virtutes.* Utrumque autem circa Iesum erat manifestandum, scilicet, quod per gratiam Deus esset in eo, non quidem adoptionis, sed personalis unionis; et quod eius supernaturalis doctrina, et perfectionis consilia a Deo esse demonstrarentur.

2155 Tertio considera in miraculis Christi potentiam; nam miracula fecit. Primo in Angelicis spiritibus; secundo in corporibus coelestibus; tertio in hominibus; quarto in creaturis irrationabilibus.

2156 Primo, inquam, in Angelicis spiritibus; quia enim effectus redemptionis Christi, atque doctrinae suae erat nos eripere a diabolica potestate, et angelis gloriae sociare; ideo voluit daemones a corporibus humanis suae potestatis imperio evellere, et expellere, iuxta illud Ioann. xii: *Nunc princeps huius mundi eicietur foras;* et sanctos Angelos devotis facere apparere, iuxta illud Col. i: *Pacificus per sanguinem crucis eius, quae in coelis, et in terris sunt.*

2157 Secundo in corporibus coelestibus decuit per Iesum miracula fieri; mutatio enim corporum istorum inferiorum multis causis contingere potest; sed cursus coelestium solus Deus mutare potest; ideo ad suam humanitatem probandam maxime conveniens fuit in eis miracula operari. Et hoc est quod Dionysius dicit ad Polycarpum; Cognoscere oportet non aliter aliquando posse perveniri aliquid coelestis ordinationis et motus, nisi ad hoc causam habeat motor qui fecit omnia, et mutat secundum suum sermonem. Tunc enim maxime conveniens fuit eius divinitatis potentiam habere testimonium a coelesti natura, quando eius infirmitas monstrabatur in terra; quod quidem erat, dum parvulus erat, vagiens in praesepio; sed maxime, quando mortuus fuit in crucis patibulo. Proinde utroque tempore Iesu despecto in terris astra perhibent testimonium in coelis.

2158 Tertio in hominibus fecit miracula, caecos illuminavit, surdos fecit audire, et mutos fecit loqui, sanavit lunaticos, liberavit claudos, mundavit leprosos, curavit hydropicos, solidavit paralyticos, expulit febres, elevavit curvos, extendit contractos, purgavit sanguifluis, et mortuos suscitavit. Proinde

Matth. v dicitur, quod: *Quocumque introibat, aut in vicis, aut in villis, aut in civitatibus, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel funebriam vestimenti eius tangerent; et quotquot eum tangebant, solvi fiebant.*

2159 Quarto fecit miracula in creaturis irrationabilibus. Primo in piscibus, scilicet, in copiosa captura eorum, sicut legitur Luc. v et Ioann. ult. cap., et in pisce, quem cepit Petrus, in cuius ore staterem reperit. Secundo in plantis, quum ad verbum eius feulnea aruit (Marc. xxi). Tertio in aere, et in aqua; nam ut legitur Matth. viii: *Imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna.* Quarto etiam, tempore Passionis eius, scissum est velum templi, ad ostendendum reseracionem legis; aperta sunt monumenta, ut mystice denotetur quod per eius mortem daretur mortuis vita; terra mota est, et lapides scissi, ut denotetur quod lapidea hominum corda per eius Passionem deberent scindi, et quod iste mundus debet ad bonum Passionis Iesu mortis virtute moveri.

2160 Ex his patet Christi gratia, et potestas miraculosa operandi; quae quanto apparuit maior, tanto opprobriosa mors crucis Christi fuit ei ad maiorem confusione, et quodammodo ad negationem, quod praedicata miracula non fuerunt vera; ideo Matth. vii dicebant: *Altos salvos fecit; seipsium autem non potest salvum facere.* Haec siquidem, quae de Christi miraculis dicta sunt, poterit discretus praedicator suo modo abbreviare, licet prodigitate Dñmini nostri Iesu Christi latius dicta sunt; et sic in similibus observandum est.

2161 Quinto ratione famae. Quanto enim quis famosior est, tanto mors eius magis opprobriosa, infamis, atque opprobriosior est, atque ignominiosior reputatur.

2162 Quanto autem fama diffusa fuerit de Christo ante Passionem suam tum ex multitudine miraculorum, tum ex efficaci doctrina eloquiorum suorum, tum ex admiranda conversatione, ex Evangelistis patet. Nam Luc. iv quum a magnis febribus sanasset Simonis socrum, facta die: *Egressus Iesus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et detinebant illum, ne discederet ab eis.* Ioann. quoque iv. Samaritani tam propter Samaritanæ verba, quam propter sermones eius crosiderunt ei. Ex hac etiam fama sententia suat Iesum turbae, id est, *quinque milia virorum, exceptis parvulis, et mulieribus, ut dicitur (Matth. x, Marc. vi, Luc. ix, et Ioann. vi)* quos siquidem pascens ex quinque panibus hordeaceis; et duobus piscibus, fama eius magis crevit. Dilatata est etiam fama quam pavisset quasi quatuor milia hominum ex panibus triticis et ex piscibus paucis, ut dicitur (Marc. viii, et Matth. xvi). Insuper in resurrectione filii viduae extra por-

tam civitatis Naim, existentibus turbis, fama eius circumquaque divulgabatur, dicente populo: *Propheta magnus surrexit in nobis.* In resurrectione quoque Lazari quateriduum turba etiam multa assistebat, illud irrefragabile miraculum considerantes. In resurrectione etiam filiae Archisynagogi, eiecta turba, et intrante Iesu domum, ad imperium eius surrexit puella, *et exiit fama haec in universam terram illam, ut dicitur (Matth. ix).* Et sic de multis aliis operibus Christi de quibus totum Evangelium referuntur est, fama eius mirabiliter crevit; quae sicut dictum est, quanto fuerat maior, tanto ignominiosior extitit mors illius in patibulo crucis.

2163 Sexto ratione sequelae. Non tantum Discipuli eius sequebantur ipsum, verum etiam turbae multae; quidam ut Doctorem, satagentes ex eius raris doctrina illuminari; quidam ut pastorem, curantes eius vestigia imitari; quidam ut medentem, optantes de vis infirmitatibus liberari; alii ut viderent eius miraculorum nobilitatem; alii ut mysteria intelligerent; alii ut prodigia viderent; variis ex causis turbae multae sequebantur eum.

2164 Sed quanto maior fuit ei sequela populorum, tanto etiam quum omnibus suis discipulis derelictis, patibulo crucis affixus est, maior fuit ignominia. Dereliquerunt eum turbae, immo contra eum insurrexerunt; unde in persona Domini in admirationem prorumpens ait Propheta dicens Psal. iii: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me; multi dicunt animas meas, non est salus ipsi in Deo eius;* quasi in desperationem praecipitantes canantes. Et alibi idem ait: *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis;* capilli siquidem capiti inhaerentes, Discipuli Christi erant; sed qui Christum oderunt gratis, id est, sine causa, fuerunt turbae, quae prius secutae fuerunt illum. His quoque capillis decalvatus est Christus in horto, et in monte Calvario, quando et ubi omnes Discipuli eius aufergerunt. De quo deridebant etiam illum Iudei quae cernebant eum ab omnibus, etiam a suis derelictum.

2165 In cuius mysterium legitur, IV Reg. ii quod quum ascenderet Eliseus in Bethel, pueri parvi egressi de civitate illudebant ei, dicentes: *Ascende calve, ascende calve.* Eliseus siquidem Christus est: Pueri parvi, sensu parvuli, sed malitia, et impietate magni extiterunt Iudaei, qui Luc. xxxiv, illudentes ei dicebant: *Si tu es Rex Iudaeorum, saluum te fac;* et similia multa, sicut praedictum est de Apostolis eius, et discipulis a Proph. in persona Domini Psal. xxi: *Dispersa suat ossa mea;* id est, Apostoli qui tanquam ossa erant aliis fortiores, et firmiores, et tamen ruerunt, secundum quod Ioann. xvi, praedixerat eis dicens:

- Ecce venit hora, et iam nunc venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquantis.*
- 2166 Sex autem causas, quare Discipuli tempore Passionis relinquant Christum, Propheta subdit. Prima causa fuit annihilatio divinae doctrinae; ideo subdit, Psal. xxi: *Factum est cor meum, id est, doctrina mea, sicut cera liquescens, id est, evanuit ad passionis calorem et ignem, et hoc in medio ventris mei, id est, in inferioribus, et etiam mollioribus membris meis.* Dicitur enim doctrina Christi cor eius, maxime propter tria. Primo, quia tenere illam amat, iuxta vulgare quod dicimus; iste est cor illius, id est, ab illo diligitur multum; unde Marc. i, ait Iesus: *Emus in vicis proximos, et civitates, ut ibi praedicem; ad hoc enim veni.* Ecce quantum dilexit doctrinam suam qui propter eam disseminandam in mundo venit.
- 2167 Secundo quoque cor Christi denominatur, quia Corpus Christi quod est Ecclesia, per illam vivificatur; ideo Matth. iv, Dominus ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei?*
- 2168 Tertio, quia de corde suo procedebat doctrina Christiana; unde Matth. xii, ipse ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.*
- 2169 Secunda causa fuit cessatio miraculorum, de qua Propheta subdit: *Avit tanquam testis virtus mea; nam arida visa fuit in passione virtus et potentia Christi, quia ante passionem miracula faciebat; unde Habacuc h: Ibi, scilicet in cruce, abscondita est fortitudo eius.* Non dicit, perdit, sed abscondita, sicut infra in 3 parte, et 4 fructa apparebit.
- 2170 Tertia causa fuit silentium Christi, qui tunc non loquebatur; unde subdit: *Et lingua mea adhaesit faucibus meis, id est, nihil loquebar; unde Is. lxi: Curam tonante se obmutescet; et Matth. xxvii c: Et non respondit ei ad ultimum verbum, ita ut miraretur Pilatus.*
- 2171 Quarta causa extitit mors Christi et desperatio de resurrectione illius; unde ait: *Et in pulverem mortis deduxisti me, o Pater, secundum opinionem Iudaeorum.* Psal. xxi: *Assimutus sum cum descendentibus in lacum, id est, irrevocabiler in infernum.*
- 2172 Quinta causa fuit Iudaeorum detractio; et de hoc subdit: *Circumdederunt me canes multi, id est, Iudaei oblatrantes, et mordentes per detractationem, tanquam canes.*
- 2173 Sexta causa fuit conventus malorum; ideo subdit: *Consilium malignantium, id est, crucifigentium observi me, pertinaciter usque ad mortem meam.* Ecce quare cum Apostoli sui dereliquerunt; ideo de hoc stupens Ierem. Thren. iv, admiranter ait: *Quomodo dispersi sunt lapides sanctuarii, id est, Discipuli Christi.*

- Septimo ratione gloriae. Quanto enim homo in maiori gloria fulcet, et exaltatur, tanto depressus ignominiosissima morte magis confunditur; et gloria in ignominiam vertitur. Nam post immensus honores statim prosternei ad infimas ignominias molestius, et confusibilis esse solet. Cum quanta autem gloria susceptus fuerit in Ierusalem in die Palmarum, ostendit Ioann. xii dicens: *Turba autem multa quae convenerat ad diem festum, quum audisset quia venit Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant, dicentes: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel; et Matth. xxi scriptum est: Plurima turba straverunt vestimenta sua in via; alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternerant in via, et sequitur: Cum intrasset Iesus Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens, scilicet, admiratione magna: Quis est hic? cui scilicet, tanta sequela, et gloria adhibetur.*
- Animadvertite quoque diligenter quod in quatuor eum honoraverunt, sicut ex praecedentibus patet. Primo in propriis personis; secundo in verbis laudis; tertio in operibus virtutis; quarto in rebus suis. Primo honoraverunt eum in personis propriis; quia ei personaliter obviam processerunt, et in Ierusalem deduxerunt; sed multo amplius multiplicata est ignominia, quia idem populus in eodem loco, eisdem diebus, postmodum eum crucifixit, atque de eadem civitate non equitando, sed crucem portando contumeliose eiecit. Nec quidem sufficit una ignominia pro uno honore, sed amplius addiderunt; quia cum vili pretio venundantes, tanquam latro ab eis capitur, et ei Barabbas latro pessimus antefertur.
- Secundo verbis laudis laudaverunt, et honoraverunt eum, dicentes eum Salvatorem, Deum, et Regem. Salvatorem quidem, quum clamabant: *Hosanna, id est, obsecro, salva nos;* Deumque eum clamabant dicentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini, id est, habens rem, et nomen veri Dei.* Regem etiam eum dicebant, quum clamabant: *Rex Israel, quia venis verus Rex Israel.* Sed multo amplius multiplicata est ignominia eius; nam qui dixerunt: *Hosanna, postea clamabant, Matth. xxvii: Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Qui vero dixerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini, postea clamaverunt, dicentes, Luc. xxiii: Crucifige, crucifige eum.* Qui prius dixerunt: *Rex Israel, postea asserabant, Ioann. xix: Non habemus Regem, nisi Caesarem.* Insuper ignominiam super gloriam addiderunt insultationibus, irrisionibus, impropertii in eum irruptis, et dicentes: *Propheta. Ave Rex Iudaeorum. Si tu es Christus descende de cruce et multa similia.*
- Tertio glorificaverunt et honoraverunt eum ope-

- ribus virtuosus; quia scindentes ramos palmarum, et olivarum, flores, et folia prosternebant in via, per quae, secundum Gregor., designantur opera virtuosa. Sed quam dissimilis est ignominia subsecuta? quamque dissimiles sunt rami, et crux; flores, et spinae; folia, et clavi; palmae, et virgae? Non hoc quidem satis fuit, nisi ultra gloriam multo amplius ignominia multiplicaretur; quia ultra hoc consputus est, et colaphizatus est.
- 2178 Quarto glorificabant eum cum rebus suis, quia vestimenta sua prosternebant in via, se cum reverentia exuentes, et illa aselli pedibus Christum portantis submittentis. Sed vide quanta est contumelia subsecuta, immo abundantius multiplicata; nam, cui tunc prosternebant vestimenta aliena, nunc auferebant sua, et sors mittebatur super ea; nec dimissa est illi, nisi unica tunica rubra; videlicet, Caro sua mundissima suo pretiosissimo Sanguine rubricata, et vulneribus lacerata. Insuper et ab ista fuit anima sua sanctissima ipso cruciata eiecta, nec insuper sufficit eis Christum nudare vestibus suis. Insuper et ipsum deriserunt vestibus alienis, nunc clamide coccinea, nunc purpurea, nunc vero veste alba; nunc velant oculos, nunc percutiunt pugnis, nunc autem alapis, nunc pollicunt sputis; ut sic nihil deficiat ad multiplicationem ignominiosius dedecoris pro gloria suscepti honoris. Pro omnibus supradictis Is. lxi, ait: *Ecce intelliget servus meus, et exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde; sicut obstupuerunt super eum multi; sic in gloria erit inter viros aspectus eius.*
- FERIA TERTIA
- LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. VII, 14-31.
- 2179 In illo tempore: Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, et docebat.
15. Et mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?
16. Respondit eis Iesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.
17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.
18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, et iniustitia in illo non est.
19. Nonne Moyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem?
20. Quid me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit: Daemonium habes: quis te quaerit interficere?
21. Respondit Iesus, et dixit eis: Unum opus feci, et omnes miramini.
22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisio-

- nem: (non quia ex Moyses est, sed ex patribus) et in sabbato circumciditis hominem.
23. Si circumcissionem accepit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato?
24. Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.
25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quaerimus interficere?
26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?
27. Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.
28. Clamabat ergo Iesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim scitis: et a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.
29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit.
30. Quaeerant ergo cum apprehenderet: et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.
31. De turba autem multi crederunt in eum.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 29, 30, 31.

- A**SCENDIT ergo postea Dominus ad diem festum mediante die festo, et docebat. Et mirabantur Iudaei dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit (IOANN. VII, 14, 15). Ille qui latebat, docebat; et palam loquebatur et non tenebatur. Illud enim ut lateret, erat causa exempli, hoc potestatis. Sed cum doceret mirabantur Iudaei. Omnes quidem, quantum arbitrator, mirabantur; sed non omnes convertebantur. Et unde admiratio? Quia multi noverant, ubi natus, quemadmodum fuerit educatus; numquam eum viderant litteras discentem, audiebant autem de lege disputantem, legis testimonia proferentem, quae nemo posset proferre nisi legisset, nemo legere nisi litteras didicisset: et ideo mirabantur. Eorum autem admiratio Magistro facta est insinuanda alius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione et verbis, dixit Dominus profundum aliquid, et diligentius inspicere et discuti dignum. Propter quod intentam facio Charitatem vestram, non solum ad audiendum

pro vobis, sed etiam ad orandum pro nobis.

2180 Quid ergo Dominus respondit eis, admirantibus quomodo sciret litteras quas non didicerat? *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed eius, qui misit me* (Ibid. 16). Haec est profunditas prima: videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait: *Ista doctrina non est mea; sed, mea doctrina non est mea*. Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque, et *mea doctrina* et *non mea*. Nam si dixisset, *ista doctrina non est mea, nulla esset quaestio*. Nunc vero, fratres, primitus intendite quaestionem, et sic ordine, expectate solutionem. Nam qui non videt quaestionem, quae proponitur, quomodo intelligit quod exponitur? Hoc est ergo in quaestione quod ait, *mea non mea*: hoc videtur esse contrarium, quomodo *mea*, quomodo *non mea*. Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evangelista: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (IOANN. 1, 1): inde pendet huius solutio quaestionis. Quae est ergo doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicuius: et suam doctrinam dixit, se ipsum; et non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? et quid tam non tuum quam tu; si alicuius est quod es?

2181 Verbum ergo et Deus est, et doctrinae stabilis Verbum est, non sonabilis per syllabas et volatilis, sed manentis cum Patre, ad quam convertamur manentem sonis transeuntibus admoniti. Non enim nos ita admonet quod transit, ut ad transitoria vocet. Admonemur ut diligamus Deum. Totum hoc quod dixi, syllabae fuerunt, percussus aërem ver-

beraverunt, ut ad sensum vestrarum aurium pervenirent, sonando transierunt: non tamen illud quod vos admonui, transire debet; quia ille quem vos diligere admonui, non transit; et cum transeuntibus syllabis admoniti, conversi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Hoc est ergo in doctrina magnum, altum et aeternum quod manet; quo vocant omnia quae temporaliter transeunt, quando bene significant, nec mendaciter proferuntur. Omnia quippe signa, quae proferimus sonis, aliquid significant quod non est sonus. Non enim duae breves syllabae Deus est, et duae breves syllabae colimus et duae breves syllabae adoramus, et ad duae breves syllabas pervenire desideramus: quae pene ante desinunt sonare, quam coeperint; nec in eis secundae locus est, nisi prima transierit. Manet ergo aliquid magnum quod dicitur Deus, quamvis non maneat sonus cum dicitur Deus. Sic intendite doctrinam Christi, et pervenietis ad Verbum Dei: cum autem perveneritis ad Verbum Dei, intendite, Deus erat Verbum; et videbitis verum dictum esse *mea doctrina*: intendite etiam cuius est Verbum, et videbitis recte dictum esse, *non est mea*.

2182 Breviter ergo dico Charitati vestrae, hoc videtur mihi dixisse Dominus Iesus Christus, *mea doctrina non est mea*, ac si diceret, Ego non sum a me ipso. Quamvis enim Filium Patri dicimus et credamus aequalem, nec ullam in eis esse naturae substantiaeque distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquid interfuisse temporis intervallum: tamen hoc servato et custodito ista dicimus, quod ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat Filium; et Filius non est, si non habeat Patrem: sed tamen Filius Deus

de Patre; Pater autem Deus, sed non de Filio. Pater Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris, et Deus de Patre. Dominus enim Christus dicitur Lumen ex Lumine. Lumen ergo quod non ex Lumine, et Lumen aequale quod ex Lumine, simul unum Lumen, non duo lumina.

2183 Si intelleximus, Deo gratias: si quis autem parum intellexit, fecit homo quousque potuit, cetera videat unde speret. Forinsecus ut operarii possumus plantare et rigare, sed Dei est incrementum dare (I COR. III, 6). *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed eius qui misit me*. Audiatur consilium, qui dicit, nondum intellexi. Magna quippe res et profunda cum fuisset dicta, vidit utique ipse Dominus Christus hoc tam profundum non omnes intellecturos, et in consequenti dedit consilium. Intelligere vis? Crede. Deus enim per prophetam dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis* (IS. VII, 9, iuxta LXX). Ad hoc pertinet quod etiam hic Dominus secutus adiunxit: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar* (IOANN. VII, 17). Quid est hoc, si quis voluerit voluntatem eius facere? Sed ego dixeram: Si quis crediderit; et hoc consilium dederam, si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas: quoniam nisi credideritis, non intelligetis. Cum ergo ad possibilitatem intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, et dixerim Dominum Iesum Christum hoc ipsum adiunxisse in consequenti sententia, invenimus eum dixisse: *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscat de doctrina*. Quid est *cognoscat*? hoc est intelliget. Quod est autem, *Si quis voluerit voluntatem eius facere*, hoc est credere. Sed quia

cognoscat, hoc est intelliget, omnes intelligunt: quia vero quod ait: *Si quis voluerit, voluntatem eius facere*, hoc pertinet ad credere, ut intelligentis intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrum revera ad credere pertineat facere voluntatem Patris eius. Quis nesciat hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus eius, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* (IOANN. VI, 29). Ut credatis in eum, non ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei: non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de apostolis ipsius possumus dicere: *Credimus Paulo; sed non, Credimus in Paulum: credimus Petro, sed non, Credimus in Petrum*. *Credenti enim in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam* (ROM. IV, 5). Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et eius membris incorporari. Ipsa est ergo fides, quam de nobis exigit Deus: et non invenit quod exigit, nisi donaverit quod inveniat. Quae fides nisi quam definivit alio loco Apostolus plenissime dicens: *Neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur?* (GAL. V, 6). Non qualiscumque fides, sed fides quae per dilectionem operatur: haec in te sit, et intelliges de doctrina. Quid enim intelliges? Quia doctrina ista non est mea, sed eius qui misit me, id est intelliges quia Christus Filius Dei, qui est doctrina Patris, non est ex se ipso, sed Filius est Patris.

2184 Sabellianam haeresim sententia ista dissolvit. Sabelliani enim dicere ausi sunt, ipsum esse Filium qui est et Pa-

ter; duo esse nomina, sed unam rem. Si duo essent nomina et res una, non diceretur, *mea doctrina non est mea*. Utique si tua doctrina non est tua, o Domine, cuius est, nisi alius sit cuius sit? Quod dixisti, Sabelliani non intelligunt: non enim Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt. Nos cultores Trinitatis et unitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, et unius Dei, intelligamus de doctrina Christi, quoniam non est eius. Et ideo dixit, non se a se ipso loqui, quoniam Christus Patris est Filius, et Pater Christi est Pater, et Filius de Deo Patre Deus est: Pater autem Deus, non de Filio Deo Deus est.

2185 *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit* (IOANN. VII, 18). Hoc erit ille qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne quod dicitur Deus, et quod colitur (II THESS. II, 4). Ipsum quippe annuntians Dominus gloriam suam quaesiturum, non gloriam Patris, ait ad Iudaeos: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me, alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (IOANN. V, 43). Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quaesiturus est, inflatus, non solidus, et ideo non stabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Iesus Christus magnum exemplum nobis prae-buit humilitatis: nempe aequalis est Patri, nempe in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; nempe ipse dixit, et verissime dixit: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem* (Ibid. XIV, 9): nempe ipse dixit, et verissime dixit: *Ego et Pater unum sumus* (Ibid. X, 30). Si ergo ille cum Patre unum, aequalis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coaeternus, immortalis, pariter incommuta-

bilis, pariter sine tempore, pariter creator et dispositor temporum; tamen quia venit in tempore, et formam servi accepit, et habitu est inventus ut homo, quaerit gloriam Patris, non suam: quid tu, homo, facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quaeris; quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem: servus es, ne contemnas Dominum: adoptatus es, sed non meritis tuis; quare eius gloriam, a quo habes hanc gratiam, homo adoptatus, cuius gloriam quaesivit qui est ab illo unicus natus. *Qui autem quaerit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, et iniustitia in illo non est* (IOANN. VII, 18). In Antichristo autem iniustitia est, et verax non est; quia gloriam suam quaesiturus est, non eius a quo missus est: non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quaeramus gloriam nostram. Sed si ille quaesivit gloriam eius, qui cum misit, quanto magis nos eius qui nos fecit?

Evangelii sancti lectionem, de qua 2186 pridem Charitati vestrae locuti sumus, ista quae modo lecta est, hodierna consequitur. Dominum loquentem audiebant et discipuli et Iudaei; Veritatem loquentem audiebant et veraces et mendaces; Charitatem loquentem audiebant et amici et inimici: Bonum loquentem audiebant et boni et mali. Illi audiebant, sed ille discernebat; et quibus sermo prodesset et profuturus esset, videbat et praevidebat. In illis enim qui tunc erant videbat, in nobis, qui futuri eramus praevidebat. Nos itaque sic audiamus Evangelium quasi praesentem Dominum; nec dicamus: O illi felices, qui eum videre poterunt! Multi in eis qui viderunt, et occiderunt:

multi autem in nobis qui non viderunt et crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini et propter nos scriptum est et nobis servatum, et propter nos recitatum et recitabitur etiam propter posteros nostros, et donec saeculum finiatur. Sursum est Dominus: sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini, in quo resurrexit, uno loco esse potest: veritas eius ubique diffusa est, Dominum ergo audiamus, et quod ipse donaverit de verbis eius, et nos dicamus.

2187 *Nonne Moyses, inquit, dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? Quid me quaeritis interficere?* Ideo enim quaeritis me interficere, quia nemo ex vobis facit legem: nam si legem faceretis, in ipsis litteris Christum agnosceretis, et praesentem non occideretis. Et illi responderunt: *Respondit ei turba*. Respondit quasi turba non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem: denique turba turbata videte quid responderit: *Daemonium habes, quis te quaerit occidere?* Quasi non peius fuerit dicere, *daemonium habes*, quam eum occidere. Ei quippe dictum est quod daemonium haberet, qui daemones expellebat. Quid possit aliud dicere turba turbulenta? Quid possit aliud olere coenum commotum? Turba turbata est, unde? a veritate. Turbam lippitudinis turbavit claritas lucis. Oculi enim non habentes sanitatem non possunt ferre luminis claritatem.

2188 Dominus autem non plane turbatus, sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (I PETR. III, 9). Quibus si diceret, daemonium habetis vos, verum utique diceret. Non enim talia illi veritate dicerent, nisi eos diaboli falsitas irritaret. Quid ergo respondit? Audiamus tranquille, et tranquillum bibe-

mus: *Unum opus feci, et omnes miramini* (IOANN. VII, 21). Tamquam dicens, quid si omnia opera mea videretis? Ipsius enim opera erant quae in mundo videbant, et ipsum qui fecit omnia non videbant: fecit unam rem, et turbati sunt, quia saluum fecit hominem sabbato. Quasi vero si quisquam aegrotus sabbato sinceraret, alius illum sanum fecisset quam ille qui eos scandalizavit, quia unum hominem saluum fecit sabbato. Quis enim alius alios salvos fecit quam ipsa salus: qui illam salutem quam dedit huic homini, dat et iumentis? Salus enim corporalis erat. Salus carnis et reparatur et moritur; et cum reparatur, mors differtur, non auferitur. Tamen, fratres, etiam ipsa salus a Domino est, per quemlibet detur: quocumque curante et ministrante impertiat, ab illo datur, a quo est omnis salus, cui dicitur in Psalmo: *Homines et iumenta saluos facies, Domine, sicut multiplicasti misericordiam tuam Deus* (PSAL. XXXV, 7). Quia enim Deus es, multiplicata misericordia tua pervenit etiam ad salutem carnis humanae, pervenit etiam ad salutem mutorum animalium; sed qui das salutem carnis hominibus iumentisque communem, numquid nulla salus est quam servas hominibus? Est certe alia, quae non solum communis non est hominibus et iumentis, sed nec ipsis hominibus communis est bonis et malis. Denique cum ibi de ista salute dixisset, quam communiter accipiunt pecora et homines; propter illam salutem quam sperare debent homines, sed boni homines, secutus adiunxit: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen*. (PSAL. XXXV, 7-10). Haec est salus quae ad bonos per-